



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Fasti Mariani**

**Brunner, Andreas**

**Antverpiæ, M.D.C XXX III.**

S. Basilevs Ep. Mart. 26. Aprilis.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-70962](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-70962)

26. APR. *Vita Sanctorum.* 231  
fidei incrementa MARCVS insidiis  
appeteretur, Anianum pro se urbi Epi-  
scopum dedit, ipse Pentapolim abiit.  
Indidem biennio post Alexandriam  
rediit, ubi ad aram ipse Dominica Re-  
surrectionis festo die captus raptatusq;  
per urbem, Paschalis pro Christo factus  
est victima. Ea nocte Angelus nomen  
suum Marco albo Caeli inscriptum  
monstravit, & Christus ipse magno  
presens fuit solatio: postera luce cum  
laqueo gula implicaretur, tam cito co-  
stringi non potuit, quin celerior anima  
ad Superos evolare. Cadaver ne torto-  
res exurerent, coorta repente tempestas  
rogum omnem cum bustuariis disje-  
cit. Nunc de illius tumulto Italia Ger-  
maniaque certant, ut de Homeri cunis  
Graciae urbes; lite tanto sanctiore,  
quanto dignior est, qui Christi, quam  
qui Achillis praelia scripsit. *Ex Brev.  
Rom. & S. Hier.*

S. BASILEVS EP. MART.

26. Aprilis.

Scelus heu! ingens, juvenus, Tuis  
Smanibus tuam occidis, cheu! toties  
castitatem, cum olim viri sancti occi-  
dere pro aliena non dubitarint. Frodeat  
BASILEVS, & dum pro aliena pudici-  
tia pugnat, pugnare pro nostra nos do-  
ceat. Erat Licinio Imperatori in Parthe-  
none virgo, virgini nomen Glaphyra,  
P 4 ad-

addictissima Christo & castitati. Huic infidias tyrannus Cupido per alterum tyrannum Licinium moliebatur. Glaphyra ab amore docta fugere, ipsa quoque alas assumit, & ad Episcopum BASILEVM abit. Sed nihil latet cœcum licet Amorem. Proditur virgo apud Imperatorem, & unâ virginis custos Pontifex, & jubet utrumque vincitum adduci Licinius. Commodum Glaphyra morte beatâ vincula effngit, sed subit BASILEVS vas pretiosi pudoris. Mox jubetur aut fidem aut caput ponere. Nec multum ille apud animum suum deliberat, abjicit caput, ut fidem seruet. Vtrumque & caput & truncum corpus seorsim in mare proturbant carnifices. Sed quâ aut corpus aut caput Martyris periret, si neque unus ex hoc capillus est periturus? Angelus Elpidophoro viro Christiano in cælis animum BASILEI, in undis corpus monstrat. Ergo illi cum piscatoribus ita convenit, ut quidquid demum prehensum id loci verriculo esset, suum esset. Mox BASILEVS extrahitur, non jam minutus capite, sed planè integer. Vna tantum & illa rubea linea ornabat, non inficiebat cervicem, ut Glaphyra è Servatoris sui collo præmium, monile hoc videatur suspendisse. *Ex Surio.*